

§. 4. Finitum est, quicquid habet gradus realitatis suæ, sive quod non omnes status sui possibili simul habet. Anima ergo est finita, est mutabilis, est contingens. Wolf. Ontol. §. 296.

§. 5. Elementa & animæ conceptu generico coincidunt §. 3. Utraque sunt substantialia finita. Sed differunt statu & vi specifica. Elementa enim conglobationi & aggregationi ad sistendum compositum destinata, ut vis motrix inde resultet, adeoque cogitandi facultatis expertia sunt §. 2.

§. 6. Quicquid est vel fit, habet rationem sufficientem, cur fiat vel fit, cur hoc vel alio modo. Anima ergo habet rationem sufficientem suæ existentia. Posita ratione sufficiente ponitur effectus. Ergo & anima ponitur, posita Rat. S. animæ.

§. 7. Ratio sufficiens rei existentis vel ipsa in re inest, vel in alio quodam. Ergo cur anima existat, vel in ipsa anima vel extra animam quærendum erit. Non in anima, quia est ens contingens §. 4. Ergo extra se in alio quodam.

§. 8. Ex regno possibilium in rempublicam existentium produci, sive ex actu primo in actum secundum transferri, est *oriri* vel *actuari*. Ergo *ortus* & *actuatio animæ* est, quando ex statu possibili in statum existentia transfertur. Quærentibus inde originem animæ indaganda est ratio sufficiens existentia animæ §. 6. 7.

B 2

§. 9.